

reparatio quidem mundi per quatuor maxima beneficia mundo prestita in uerbis premissis exprimitur. quorum unum est uniuersitatis complecio. Vbi venit plenitudo. Secundum filij dei incarnacio. Misit deus. Tercium humani generis redemptio. Ut eos qui sub lege. Quartum celestis patris adoptio. Ut adoptionem filiorum recipereamus &c. Plura descripsi, quia non occurrit Autor, qui est *Petrus de Tarentasia* jam quidem relatus, sed absque hoc Prooemio. Ad calcem accedit Elenchus Distinctionum cum suis Quaestionibus.

DXLI.

R. 80 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus est *Commentarius in Librum III. Sententiarum*, qui incipit: *Cum uenit igitur.* (Verba Pet. Lombardi) D. I. *Queritur utrum diuina natura potuerit uniri cum humana, uidetur quod non. Sicut unire est agere. sic uniri est pati. sed diuinam naturam impossibile est pati. ergo impossibile est eam cum alia uniri. &c.* Finis: *Hanc domum sapientie hijs septem columpnis edificatam adueniens christus uacuam inuenit et eam sua maiestate impleuit. Explicit. Deo gracias.* Autor non est *Alex. Aletis*, *Albertus M.* *Thomas Aquin.* *Joh. Duns*, *Guil. Occamus* praecipui in *Magistrum Sententiarum* Commentatores, multum tamen congruit cum *Bonaventura*, apud quem T. V. *Opp.* edit. *Lugd.*

1668. p. 4. argumentum supra adductum paene ad uerbum legas. Aetas Scriptoris nostri aliquantum ex eo liquet, quod *Guilelmum Parisinum* citet, quem constat obivisse anno 1249.

DXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 409

Folior. 285. f. per duas columnas non una manu scriptus sequentia complectitur: I. *Commentaria in III. Librum Sententiarum Petri Lombardi*, quorum initium: *Cum venit ergo plenitudo temporis &c. Iste est tercius liber sententiarum Petri lombardi. In quo Magister specialiter et principaliter agit de misterio nostre reparacionis. Nam postquam in Libro precedenti &c. Extrema: quam nobis conferat ipse legem qui dedit Ihesus Christus Deus in secula benedictus Amen. Cum Quaestionum Elencho.*

II. fol. 140. sequitur, ut e calce adsumo, *Tractatus de Consolatione theologie Magistri clarissime memorie Johannis Gerson cancellarij parisiensis.* Legitur haec IV. Libris comprehensa *Boethii* imitatio *Ed. Opp. Amstelod. dictae Antwerp. 1706. T. I. P. 1. col. 125.* cui prorsus consentit *Exemplum nostrum*, nisi quod praeter *Tabulam praeviam συνοπτικην* ad calcem etiam alphabetica auctum fit. Prooemii initium est: *Quaecunque scripta sunt, ait magnus ille discipulus theologie paulus &c.*

III. fol. 162. Excerpta e *Marchesinii O. M. Vocabulario sacro*, quod vulgo *Mammotreptus* audit,